

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1010

Auteur(s) : Caen, Saint-Thomas (hôpital)

Bénéficiaire(s) : Hugues, Bayeux (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1220...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Les Frères de l'Hôtel-Dieu de Caen (Hôtel-Dieu-de-Saint-Thomas), et Hugues, chanoine prébendé de Saint-Jean de Caen, se font des concessions réciproques.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCXX, t. 1, p. 270-271.

Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis, fratres Hospitalis beati Thomæ martyris Cadomensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos terram, quæ est juxta portam Miletii, in parrochia Sancti Johannis Oximensis, dedimus et concessimus Hugoni, canonico Baiocensi, et canonicis ipsi in præbendam prædicti Sancti Johannis successoris, in subsidium cimiterii prædictæ ecclesiæ, quod artum erat, perpetuo possidendum. Dictus quidem canonicus concessit nobis postmodum, divinæ pietatis intuitu, ut in illo cimiterio possemus capellam construere, domum infirmorum et pauperum usibus ædificare, parvulos, quos in Hospitali nasci contigerit, in dicta capella unda sacri baptismatis regenerare, fratres ejusdem Hospitalis in eodem cimiterio sepelire, cum aliis fidelibus qui ibidem sibi eligere voluerint sepulturam, salvo jure parochialis ecclesiæ, quæ eos in vita sua pane vitæ cibavit et cibo cœlesti refecit. Tenemur autem de prædicta capella et domo singulis annis reddere dicto canonico, et ipsi in præbenda Sancti Johannis successoris, centum solidos Turonenses, nomine pensionis, videlicet: quinquaginta solidos ad Pascha, et totidem ad festum sancti Michaelis. Nullus præterea presbiter in dicta capella, ultra quindecim dies, divina poterit celebrare, nisi prius a nobis fratribus Hospitalis dicto Hugoni, vel ipsi in prædictam præbendam successoris, fuerit præsentatus et admissus, juraverit, tactis sacrosanctis, se canonico in præbenda Sancti Johannis canonicam obedientiam servaturum, et pensionem prædictam vice nostra soluturum. Dictam autem capellam, nec in honore beatæ Virginis Mariæ, vel sancti Johannis, possumus construere, nec in eadem aliquod altare huic vel illi specialiter ædificare, cum hoc plurimum in præjudicium et dampnum matris ecclesiæ Sancti Johannis evidentius redundaret. Ut igitur præscripta perpetuam stabilitatem obtineant, quatuor fratrum nostrorum, vice totius congregationis nostræ, tactis sacrosanctis, juraverunt quod nos omnia prædicta in perpetuum observabimus fideliter, et prædictam pensionem, statutis terminis, persolvi faciemus, nichil unquam super hiis vel aliis machinaturi, vel quoquo modo procuraturi per quod prædictus canonicus, vel ipsius præbenda, juris, quod in

dicta capella et cimiterio sibi et præbendæ suæ reservavit, diminutionem aliquam patiatur aut detrimentum. Quæ omnia, ad defectum humanæ memoriæ supplendum, præsenti scripto, sigilli nostri munimine roborato, duximus commendanda.